LAVRENTIVS GRILLVS MEDICVS BAVARVS.

LAurentius Landshutæ in Bauaria natus & educatus fuit. Is felici ingenio fretus Philoſophiæ & Medicinæ magna diligẽtia operam dedit, & in ijs ſcientijs præclaram ſibi eruditionem com parauit, quę etiam cauſa fuit,ut Medicinę Doctor crearetur. Is autem tanto deſiderio rerum naturalium flagrauit, ut non modò earũ uſum ex frequẽti autorum lectione,uerùm etiam multarum regio num luſtratione cognoſcere optaret. Vnde totam ferè Europam luſtrauit atq; thermas,fodinas, atq; uaria aromatum emporia inuiſit,ac ſingula diligẽter inſpexit,& earum cauſas cognouit. Tandem In golſtadium reuerſus, Philoſophiam in eo gymnaſio docuit,atq; ſua eruditione omnibus innotuit. Cum hoc modo aliquandiu profeſsioni ſuæ cũ laude præfuiſſet, atq; ut literas iuuaret, pro paupere ſtudio ſo ex proprijs bonis liberale ſtipendium conſtituiſſet, anno 1561 ibidem obijt, & multorum luctu tumulatus fuit. Anon.